

rent. Venerius, ne quemquam publicæ liberalitatis expertem sineret, eos, qui ob crimina remigio obnoxii erant, ac strenue dimicaverant, libertati restituit, publicumque omne debitum remisit, ea conditione, ut, donec triremes, præfectis in urbem redeuntibus, in navalia subducerentur, ære consueto ad transtra mererent. Permissus exulibus, qui prælio interfuerant, in patriam reditus, aliaque publicæ liberalitatis signa edita.

1571

Fœderatorum victoriæ ad Echinadas nuntius per universam Europam, aliasque regiones ac provincias delatus, cunctorum animos ad ingentem maximarum rerum spem erexerat: tot cæsos hostes, omnium fere maritimarum virium jacturam a Selymo factam, præclaros militari disciplina præfectos, insignes duces amissos. Eas spes summopere augebant Epiri ac Græciæ incolæ, qui turcicæ servitutis jugum perosi, novas res appetere ac moliri soliti, tam eximiam sese ab indigno servitio eximendi occasionem prætermisuri non videbantur. Nec deerant qui Byzantium, regni sedem, petendum contenderent: felici fortunæ afflatu multa, atque egregia confici posse; non alio præferoces Annibalis spiritus victoriam spirantes, quam inertis luxu, ac lascivienti Capuano otio perdomitos fuisse: pulchrum vincere, pulcherrimum victoria uti scire. Pari cupiditate sociorum imperatorum animi commoveri atque incendi videbantur, cum post victoriam, oblitteratis iis, quæ acerba inter Venerium atque Austriacum simultatum initia contigerant, juvenis imperator grandæva ætate senem complexus, se in ejus voluntate futurum diceret. Inde inter fœderatos duces variis agitatibus, in id cunctorum sententiæ convenerant, ut ex universa classe centum ac quinquaginta selectis apprime instructis triremibus, atque ex iis turcicorum navigiorum custodiæ triginta relictis, cum reliquis Peloponnesi litora percurrento, populi ad defectionem sollicitarentur; oppido vel urbe occupata, ac sede belli constituta; inde ad ulteriora, pandente sinum fortuna, adspiraretur.

*Fœderati,
quid potissimum
faciant, consu-
lunt.*

Dum hæc in omnium animis, atque ore versantur, repente immutata rerum facies: tepere Hispani: pristinus Austriaci ardor restingui: multa profectioni prætendi: militibus plerisque

*Hispani de
reditu cogitant.*